

ralis¹ federe societatis, officialis^a curie Coloniensis salutem et sinceram in Domino karitatem^b.

Cum pax que est vinculum karitatis omnibus bone voluntatis hominibus debeat suffragari, precipue tamen servis Dei servanda esse dinoscitur, qui quantum in eis est pacem cum universis habentes auctori pacis Domino iugiter famulantur, et eorum res divino cultui dedicatas a cunctis Christi fidelibus custodiri convenit ob reverenciam divine maiestatis illesas^c. Cum igitur, sicut notorium est et cunctorum oculis se ostendit, imperialis fundacio monasterium^d Sancti Cornelii Indensis Coloniensis diocesis precipuas possessiones et redditus in Diegtinshusen^e et Heynbach² habeat et hactenus pacifice^f possederit ab antiquo, dolentes referimus, quod eas reverendus pater et dominus sancte Mogunt(ine) sedis archiepiscopus³ necnon maioris et sancte Marie ad gradus decani et capitula ecclesiarum Moguntin(ensium) sibi violenter usurpant contra pacem iuratam pro suo libito veniendo, pretendentes ut dicitur, se predictas possessiones emisse a domino Iohanne in abbatem dicti monasterii electo et quibusdam monachis ibidem^f sibi in hac parte faventibus inconsulte, cum tamen huiusmodi empicio, si qua est, reverendo domino nostro E.⁴ dei gracia archiepiscopo et venerabilibus dominis, capitulo maioris ecclesie Coloniensis, quorum interest, irrequisitis, immo prohibentibus manifeste ac nonnullis eiusdem monasterii monachis reclamantibus, attemptata illicite et invalida ipso iure existat, sicut in eiusdem capituli Coloniensis litteris^g quas^h vidimus plenius enarratur, dictique dominus archiepiscopus et capitula Moguntin(ensia) collectis armatis hominibus fructus et redditus prefati monasterii in bonis predictis hoc anno abstulerint violenter, tam in pacis auctoremⁱ Deum quam pacem publicam et iuratam committere non verentes. Cum autem tantum^k domini nostri archiepiscopi et ecclesie Coloniensis preiudicium et predicti monasterii gravamen dissimulare non possimus, sicut eciam nec debemus, honestatem vestram et omnium paci adherentium instanter requirendam duximus et rogandam, quatenus

a) 'offic' 1. 2. b) 'cār' 2. c) 'illesos' 2. d) 'moñ' 1.
e) 'Diech.' 2. f) Fehlt 2. g) 'litteras' 1. h) Fehlt 1. i) 'act.' 1.
k) 'tm' 1. 2.

1) Siehe diesen Landfrieden in Constitut. II, 615 n. 446; Reg. imp. V, 12068. 2) Trechtlingshausen und Heimbach bei Lorch. Vgl. dazu und zum folgenden Lacomblet, Urkb. für die Gesch. des Niederrheins II, 195 Anm. 2. 3) Werner von Eppstein. 4) Engelbert II.